

temporis, quod fides sola non sufficit ad salutem, sed praeterea requiruntur bona opera: nam Paulus diserte dicit subituros aeternum supplicium, non solum qui non credunt, sed etiam qui non obediunt Evangelio Christi; non obediunt, autem Evangelio illi, qui, quamvis firmissime credant ea, quae illo traduntur, tamen nolunt servare, quae eodem praecipuntur. Sed quaerat fortasse aliquis, hoc quod Paulus dicit, quod infideles atque improbi sint daturi poenas aeternas, quid pertineat ad confirmandos Thessalonicenses in tolerantia et patientia rerum adversarum? id, quod erat Divo Paulo propositum facere.

Ad hoc respondetur, multum pertinere; quod Chysostomus et Theodoretus egregie annotarunt: nam inest in hujusmodi Pauli verbis et oratione tacita quaedam argumentatio atque conclusio, qua conficitur eos qui molestiis afficiebant Thessalonicenses propter confessionem fidei, aeterno supplicio afficiendos ob eam rem, id quod plurimum valebat ad confirmandos animos Thessalonicensium; conficitur, autem, hoc atque concluditur ex eo, quod Paulus aperte expressit, argumento ducto a minori; nam si Deus repetet poenas aeternas ab iis, qui non obediunt evangelio, id quod Paulus affirmat hoc loco, certe ab iis, qui non solum non credunt evangelio aut illi obediunt, sed insuper persequuntur credentes et obediunt evangelio ob id ipsum, quod credunt et obediunt, multo acerbiores poenas repetiturus est Deus. Itaque, Divus Paulus conclusionem reticuit; tantum posuit illud, ex quo conclusio ipsa aperte poterat colligi; nam, ut hoc obiter sciatis, moris est Scripturae in argumentando, tacita conclusione, praemissas tantum ponere, neque semper omnes praemissas, sed interdum majorem, interdum minorem propositionem. Cujus rei docendi gratia, unum aut alterum exemplum afferam. *Canticorum*, capite VIII, inquit sponsa: «Vinea facta est pacifico in ea, quae habet populos: tradidit ipsam custodibus, vir affert pro fructu ejus, mille argenteos. Vinea mea coram me est»;

in quo loco, positus majori et minori propositionibus, conclusio reticetur, nam intendit probare sponsa, et concludere, suam vineam sibi magis fructuosam futuram, quam Salomoni vinea ipsius; probat, autem, id et argumentatur isto modo: Salomon habet vineam, quam tradidit aliis colendam, et tamen reddit illi millenos argenteos in singulos annos, at vinea mea coram me est, id est, a me ipsa colitur et custoditur; igitur, majorem fructum afferet mihi, quam Salomoni ipsius vinea attulit: ubi, ut videtis, tantum expressit majorem et minorem propositionem, conclusionem autem, nobis inferendam reliquit. Similiter *Job*, capite xxxv, dicit Eliu: «Qui docet nos super jumenta terrae, et super volucres coeli erudit nos»; quo in loco, posita majori propositione, subicitur minor propositio atque conclusio; nam agebat Eliu de providentia Dei erga homines, et affirmaverat Deum curare humana, et quoniam ipse sibi contra objecerat multos in hac vita injuste pati, et imbecilles opprimi a potentioribus, ad id respondens, intendebat probare, quod Deus semper solitus sit tueri eos, qui ipsum invocant, et suam spem in illo collocant; et ad id probandum posuit majorem propositionem, dicens: «Qui docet nos super jumenta terrae etc.», et nihil aliud praeterea addidit, cum tamen esset addenda minor propositio et conclusio, ut integra argumentatio constaret, scilicet, isto modo: Deus docet nos super jumenta terrae, id est, Deus fecit nos rationis participes, et praestantioris naturae, quam sint jumenta; sed jumentorum et brutorum animalium curam gerit Deus; ergo, sine dubio, gerit curam hominum, maxime eorum, qui confidunt in ipso. Nam hoc argumentum est simile illi argumento, quo utitur Christus apud Matthaeum, in vi; nisi quod Christus ejus argumenti atque rationis omnes partes integre explicuit, Eliu autem praecise illud posuit, quemadmodum diximus; nam sic dixit: «Respicite volatilia coeli, quoniam non serunt, nec metunt, nec congregant in horrea: et pater vester coelestis

pascit illa. Nonne vos magis pluris estis illis?» Sequitur in textu:

9.—Qui poenas dabunt in interitu aeternas a facie Domini, et a gloria virtutis ejus.

Dixerat Divus Paulus Christum Dominum poenas sumpturum de iis, QUI NON NOVERUNT DEUM, NEC OBEDIUNT EVANGELIO EJUS; ex quo facile poterant intelligere, etiam eos, qui ipsos vexabant ob id ipsum, quod credebant evangelio, poenas duros: nunc, vero, Divus Paulus, ut magis coerceat adversantes Evangelio, et ipsos Thessalonicenses magis contineat in officio, exponit quales et quam graves poenas sint daturi, dicens: QUI POENAS DABUNT IN INTERITU AETERNAS, id est, non leves poenas nec brevi tempore finiendas. Quod, autem, dicit: IN INTERITU, id quidam sic exponunt: IN INTERITU, id est, in morte, hoc est, cum discesserint ab ista vita, tunc poenas luent aeternas; quasi Divus Paulus istis verbis tacite occurrere voluerit timori atque moerori, quo verosimile erat affici Thessalonicenses ex praespecta felicitate atque potentia adversariorum suorum; tanquam si diceret Divus Paulus: nam, quamvis isti, qui non solum non credunt Evangelio, sed etiam vos, quia creditis, persequuntur, videantur agere laete atque feliciter, tamen hortor vos, ut sitis aequo atque bono animo, nam ista illorum felicitas atque potentia brevi finienda est, nec finienda solum, sed etiam commutanda in maximam miseriam; nam IN INTERITU, id est, cum discesserint ab ista vita, poenas dabunt aeternas. Ita quidam interpretantur, et non male; sed, tamen, rectius atque verius dicemus, quod istis verbis (scilicet: IN INTERITU) significatur non quidem tempus, in quo impii atque improbi poenas daturi sunt, sed potius significatur ipsum genus poenae atque supplicii, quod subituri sunt, nam poena illorum non erit pecuniaria, sed erit poenna mortis et interitus, id est, suppli-

cium capitale, idque aeternum. Unde et in graeco codice id legitur per appositionem, isto videlicet modo: QUI POENAS DABUNT INTERITUM AETERNUM; et sic interpretaentur hunc locum, non solum omnes doctores graeci, sed etiam ex latinis, Divus Thomas, et Divus Anselmus, et Divus Ambrosius in hoc loco.

Et, certe, hoc est verum et proprium supplicium improborum in alia vita, nimirum, mori atque interire perpetuo; quod est maximum supplicium. Quod, ut plene intelligatur, notandum est, quod poena consistit in illatione alicujus mali, et quanto majus malum est id (quod) infertur, tanto poena censetur gravior: mors, autem, est gravissimum malum, quia est privatio vitae maximae bonae; unde poena mortis ex suo genere maxima poena est. Sed, quoniam morte extinguitur omnis sensus, et sine sensu mali poena vix potest intelligi; idcirco, justitia et severitas Dei excogitavit quoddam genus mortis, in quo mortis sensus inesset, id est, genus quoddam mortis, quae semper versaretur in actu moriendi, et, ut sic loquamur, excogitavit quamdam mortem perpetuo viventem; nam fecit, ut improbi et damnati carerent omni usu et grata functione sensuum, et potentiarum suarum, et fecit etiam, ut sentirent se carere, et in eo sensu perpetuo permanerent: unde, quia carent debito usu potentiarum suarum, sunt in morte; quia, vero, sentiunt se carere, vivit in illis ipsa mors, et illius acerbitas; et quia perpetuo id sentiunt, perpetuo vivet illa, quae est vera et gravissima mors. Unde de illis dicitur in psalmo XLVIII: «Mors depascet eos», quod ideo dicitur, quia mors illos semper conficiens, nunquam tamen consumit, quemadmodum hoc loco praeclare scribit Divus Ambrosius dicens: «DANTES POENAS INTERITUS IN AETERNUM, semper sentientes, nunquam tamen deficientes penitus, ut ipsa poena illud quodammodo generet semper, quo consumantur».

Quod, autem, Paulus subjungit: A FACIE DOMINI, ET

A GLORIA VIRTUTIS EJUS, id varie exponitur. Nam quidam sic interpretantur: A FACIE DOMINI, id est, semoti atque separati A FACIE DOMINI, ET A GLORIA EJUS, in quo consistit poena damnatorum; et ita, Divus Paulus in illis prioribus verbis scilicet, POENAS DABUNT IN INTERITU AETERNAS, significavit poenam sensus, qua reprobis afficiuntur; in his, autem posterioribus, A FACIE DOMINI, etc., significavit poenam damni, quae consistit in carentia divinae visionis, de qua etiam poena dicit Job, capite XIII: «Non veniet in conspectu ejus omnis hypocrita». Haec interpretatio placet Divo Thomae, et Divo Anselmo, et Glossae interlineali. Caeterum, alii sic interpretantur: A FACIE DOMINI, id est, a sententia, quae egredietur ex ore Domini, id est, quam ipse proferet suo ore, illos condemnando et poenis sempiternis tradendo, nam, ut habetur apud Matthaeum, capite XXV, illis Christus dicit: «Ite, maledicti, in ignem aeternum, etc.»; ita exponit Lyranus, et etiam Divus Thomas, qui idem dicit pertinere hoc ad ostendendam acerbissimam et firmitatem condemnationis malorum; quasi dicat Divus Paulus: impii DABUNT POENAS AETERNAS, condemnati, non ab alicujus judicis inferioris sententia, a quo possint provocare; sed condemnati ab ipsa facie atque ore supremi judicis, ut nulla sit illis spes reliqua eam sententiam in melius ab aliquo superiori posse mitigari et verti.

Alii, vero, aliter interpretantur. Inquit Divus Paulus, quod impii POENAS DABUNT A FACIE DOMINI ET A GLORIA VIRTUTIS EJUS, quia ipsa Christi praesentia et species, majestate plenissima, impiis futura est gravissima et acerbissima; nam quemadmodum Christi species, cum apparuerit piis hominibus, maximam afferet voluptatem, ita similiter impiis inferet maximam poenam atque dolorem: et, certe, non solum species Christi, sed etiam sanctorum gloriosa species improbis hominibus futura est molestissima, ut constat ex illo (*Sapientiae*, capite V): «Videntes turbabuntur timore horribili, et mirabuntur in subitatione insperatae salutis,

dicentes intra se et prae angustia spiritus gementes: Hi sunt quos habuimus aliquando in derisum, et in similitudinem improperii... Ecce quomodo computati sunt inter filios, et caetera». At, vero, Divus Chrysostomus et Ecumenius, interpretantur A FACIE DOMINI, id est, ipso nutu Domini, et volunt sic esse dictum a Paulo, ut ex eo ostenderetur, quam facile, imo quam nullo negotio, Christus in judicio impios homines addicturus sit ignibus sempiternis; scilicet, ipso ore, ipso nutu, vel sola ostensione vultus sui illos effugabit in interitum, nam quemadmodum sole, sese efferente atque ostendente, nebulae dissipantur, sic Christo Domino emitte radiis charitatis suae, impii subito dissipabuntur: ex quo apud Malachiam, capite III, dicitur de ipso Christi adventu: «Ecce venit, dicit Dominus exercituum: et quis poterit cogitare diem adventus ejus, et quis stabit ad videndum eum?» stabit, id est, firmus persistet; haec, enim, vis subjecta est verbo hebraico, pro quo in latino codice ponitur stabit. Et addit propheta: «Ipse enim quasi ignis conflans», etc.; nam quemadmodum ignis stipulas velocissime consumit, ita Christi illustris species aparens, suo splendore, quem mali sustinere non poterunt, illos citissime de medio tollet. Unde in eodem capite dicitur, ad significandam hujus judicii facilitatem et celeritatem: «Et accedam ad vos in judicio, et ero testis velox maleficis et adulteris», etc. Sequitur in textu:

10.—Cum venerit glorificari in sanctis suis, et admirabilis fieri in omnibus, qui crediderunt, etc.

Pergit Divus Paulus exponere atque explicare omnia illa, quae conjuncta sunt cum Christi adventu, vel potius, pergit ex conjunctis amplificare, Christi adventus expositione: nam, quemadmodum diximus, videbat id Paulus plurimum valiturum ad confirmandos animos Thessalonicensium, si illis ante oculos proposuisset, et tanquam ver-

bis depingeret omnem rationem Christi adventus, atque ejus judicii. Itaque, quoniam primo loco posuit splendorem judicis et majestatem, et secundo loco adjungit severitatem judicii et gravitatem poenae, qua animadversurus erat in eos, qui Evangelio adversantur; idcirco, nunc, 3.^o atque ultimo, exponit praemia bonorum et largitatem atque magnificentiam Dei erga illos, dicens: CUM VENERIT GLORIFICARI IN SANCTIS SUIS, etc., quasi ita dicat Paulus: vobis requiem daturus est Deus in revelatione Christi, in qua revelatione non solum poenas aeternas repetet ab iis, qui non crediderunt Evangelio, sed etiam in eos, qui crediderunt, erit liberalis atque munificus supra modum. Itaque, inquit: *simul* animadvertet in impios et praemia reddet piis atque justis; nam Deus semper conjungit in suis operibus misericordiam et justitiam juxta illud psalmi XXXII: «Diligit misericordiam et judicium», et in psalmo C: «Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine».

Sed videte Divi Pauli divinum consilium: nam, non dixit: cum venerit reddere praemia sanctis suis; quo uno verbo ipsam explicuisset; sed utens circuitione quadam, maluit dicere: cum venerit glorificari in sanctis suis, et admirabilis fieri in omnibus, qui crediderunt, idque fecit eo consilio, ut ex eo ostenderetur, quanta essent futura et quam magna justorum praemia. Nam sicut docuit poenas infidelium aeternas futuras et acerbissimas, ita consentaneum erat, ut doceret fideles non solum esse afficiendos praemio; sed illorum praemium futurum eximium supra modum, id, autem, docet Divus Paulus mira ratione, dicens: CUM VENERIT GLORIFICARI IN SANCTIS SUIS, ET ADMIRABILIS FIERI; nam necesse est, ut id praemium sit magnum et eximium, ex quo in benefactorem ipsum tanta redundat gloria et admiratio; et cum Deus ipse per se abundet gloria et admirabilitate, necesse est, ut sit quiddam magnum, eximium, id quod novam laudem ipsi conciliaturum est. Et, sine dubio, in die illo omnes summe admirabuntur, videntes ejus in prae-

miis bonorum summam largitatem, atque etiam videntes ejusdem summam sapientiam in eorum salute, qua miris et arcanis rationibus atque viis perduxerit ad felicem exitum suum consilium circa illorum salutem; itaque, admiratione obstupefacti, talem laudem Deo tribuent, qualis est illa, quae describitur in Apocalypsi, capite XV; ubi dicitur: «Magna et mirabilia sunt opera tua, Domine Deus omnipotens: justae et verae sunt viae tuae, Rex saeculorum. Quis non timebit te, Domine, et magnificabit nomen tuum? qui solus pius es».

Sed videamus, quod sequitur; est, enim, perobscurum: QUIA, inquit, CREDITUM EST TESTIMONIUM NOSTRUM SUPER VOS IN DIE ILLO.

Nam, certe videtur difficile explicare horum verborum per se quaenam sententia sit, atque etiam explicare, quomodo illa cum superioribus conjungantur. Unde quidam sic interpretantur ista verba: QUIA CREDITUM EST TESTIMONIUM NOSTRUM SUPER VOS IN DIE ILLA, scilicet, manifestabitur, hoc est, notum fiet in die illo vos credidisse; sed haec interpretatio nec satis cohaeret cum superioribus, nec ullo modo pertinet ad id, quod Paulo est propositum docere in hoc loco: nec, enim, id posset dicere nisi dubitaret de fide Thessalonicensium; dubitare, autem, de illa non poterat Divus Paulus, utpote qui in hac epistola eorum fidei firmitatem et incrementum multis verbis laudaverat. Unde alii haec verba aliis modis interpretantur, quae longum esset referre. Caeterum, ut explicem id, quod mihi simplicius atque verius videtur, existimo hoc loco illud CREDITUM ESSE significare, non quidem id, cui fides adhibetur, sed id, quod constat, aut apparet esse dignum, cui fides adhibeatur; id est, CREDITUM EST, hoc loco non valere id, quod est *credi* sed id, quod est certum et exploratum reddi atque effici: nam graeca vox *pisteuo*, qua utitur Paulus, non solum significat credi, sed etiam certum et exploratum, et fidum iudico; unde *pisteuo ninos*, Graecis dicitur is, qui pollet aucto-

ritate eximia, ita ut ei fides tuto posset adhiberi. Unde *epistecepei*, pro quo latinus interpres hoc loco possuit CREDITUM EST, accipi debet pro exploratum et certum et fide dignum effectum est; nam, sine dubio Divus Paulus id significat istis verbis, nimirum, futurum, ut in die iudicii, ipso rerum eventu comprobante, ea, quae ipsi Thessalonicensibus pollicitus fuerat de futura felicitate bonorum, hoc suum testimonium, haec illius praedicatio, certam et exploratam, et dignam cui fides habita sit, esse constabit. Nam non potest dubitari, quin Divus Paulus ante id tempus pollicitus fuerit Thessalonicensibus plurima de illorum felicitate futura, quo illos in fide et tolerantia confirmaret; igitur, quoniam dixerat Christum in suo adventu admirabilem futurum, id est, tam eximia bona collaturum fidelibus, ut cuncti admirarentur ejus munificentiam et liberalitatem, ideo opportuna adjungit: *tunc*, scilicet, in die illo, cum effuderit suas divitias in bonos, ea, quae ipse pollicitus fuerat Thessalonicensibus de hac bonorum felicitate, habitura pondus fidei et auctoritatem.

Et, ut constet, quam recte in hanc sententiam omnia verba hujus orationis concurrant, singula declarem. Inquit: CUM VENERIT GLORIFICARI, id est, cum venerit ad conciliandam sibi laudem et gloriam: IN SANCTIS SUIS, id est, per ea bona, quae collaturus est in sanctos suos, nam particula *in* ponitur saepe pro *per*, ut supra diximus, quod etiam Divus Chrysostomus adnotavit in hoc loco: ET ADMIRABILIS FIERI, id est, et cum venerit ad excitandam admirationem sui IN EOS, QUI CREDIDERUNT, id est, per eam felicitatem, qua afficiet credentes; quia, id est, nam, in die illo, id est, cum hoc fiet, id est, cum Christus piis praemia persolvat; tunc CREDITUM FIET (praeterito pro futuro), id est, habebitur certum et exploratum testimonium nostrum, id est, ea, quae testati sumus et praedicavimus de hac bonorum futura felicitate: SUPER VOS, id est, apud vos, nam sic Haebraei locuntur. Unde valde consentaneae sequitur in textu:

II.—In quo etiam oramus semper pro vobis; ut dignetur vocatione sua Deus noster, et impleat omnem voluntatem bonitatis, et opus fidei in virtute.—12.—Ut clarificetur nomen Domini nostri Jesu Christi, et vos in illo, secundum gratiam Dei nostri et Domini Jesu Christi.

Nam, quoniam Divus Paulus dixerat, in die iudicii, cum Deus justis praemia persolvat, futurum ut quae ipse Thessalonicensibus pollicitus fuerat, apparerent firma, et rata, et vera fuisse; et quoniam per ipsos Thessalonicenses poterat stare, quominus ea res sortiretur felicem exitum, scilicet, si non respondentes suae vocationi descivissent perseverare in bono, ideo nunc Divus Paulus dicit se assidue orare Deum, ut illorum virtutem ad felicem exitum perducat; ne, scilicet, aliquid existat ex parte illorum, quod efficiat irritum id, quod Paulus fuerat illis pollicitus de ipsorum futura felicitate. Inquit, ergo, Paulus: IN QUO, id est, propter quod ORAMUS SEMPER PRO VOBIS, hoc est, ut nostra promissa vera esse constent in die illo, et ut vestra salus certa sit, oramus Deum semper, ut vos dignetur vocatione sua. Non inquit, ut vocet vos, nam jam erant vocati Thessalonicenses; sed DIGNETUR VOCATIONE SUA, hoc est, efficiat dignos sua vocatione, hoc est, efficiat, ut per bona opera respondeatis et satis faciatis vestrae vocationi, id est, instituto et professioni vestrae: quasi dicat, Deum oro ut vos efficiat tales, quales esse decet ut sint eos, qui sunt et appellantur Christiani; nam qui Christiani effecti sunt, ex instituto professionis suae sunt vocati ad omnem sanctitatem, et morum virtutem, et honestatem; quemadmodum dicit Divus Paulus (I, *ad Thessalonicenses*, IV): «Non enim vocavit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem», et (*ad Ephesios*, IV): «Ut digne ambuletis vocatione, qua vocavit vos Deus». Et ut hoc ipsum magis explicaret Divus Paulus, addidit in textu: UT IM-

PLEAT OMNEM VOLUNTATEM BONITATIS, scilicet, in vobis; nam, quemadmodum ipsemet Paulus testatur (I, *ad Thessalonicenses*, IV): «Haec est voluntas Dei, sanctificatio vestra»; quamquam Divus Thomas et Glossa interlinealis hoc non referunt ad voluntatem Dei, qua ipse vult nos esse bonos, sed potius referunt ad voluntatem nostram, qua ipsi diligimus ea, quae sunt bona et honesta; quasi ita dicat Paulus: et impleat in vobis voluntatem omnis boni, hoc est, efficiat, ut quaecumque bona et honesta sunt, ipsi velitis. Divus Anselmus, autem, sic interpretatur: IMPLEAT OMNEM VOLUNTATEM BONITATIS, id est, voluntatem vestram bonam impleat, et ad exitum perducatur ea, quae bene vultis; at vero, Chrysostomus et Œcumenius id dictum intelligunt de voluntate Dei, eo modo, quo expossuimus; unde et nonnullis latinis codicibus legitur, ita UT IMPLEANT OMNEM VOLUNTATEM BONITATIS SUAE, id est, omnem voluntatem suam bonam. Voluntas, autem, hoc loco non utcumque accipi debet, sed pro ea, in qua est beneplacitum et complacentia; nam in graeco est *ebdochia*: itaque, inquit Paulus: Impleat in vobis Deus quidquid ipsi gratum et amabile est: efficiatur in vobis id, quod apud ipsum habetur honestum et pudicum et pulchrum, id quod ipse probat atque diligit; quod hispane apte dicitur, uno verbo: *Cumpla en vosotros su contento*. Et quoniam Deo est amabile, atque gratum in nobis, ut ipsi boni simus, idcirco hanc voluntatem Dei appellat voluntatem bonitatis.

Sed addit: ET OPUS FIDEI IN VIRTUTE; repetendum est verbum IMPLEAT, ut sit sensus: ET IMPLEAT IN VOBIS OPUS FIDEI IN VIRTUTE. OPUS, autem, FIDEI Anselmus et nonnulli alii interpretantur perfectam justitiam, id est, omne opus bonum, quod fides viva nata est producere. At, vero, Chrysostomus et Glossa ordinaria et Lyranus rectius, mea quidem sententia, OPUS FIDEI hoc loco interpretantur fidei constantem confessionem inter res adversas; nam tunc fides explicat suas vires, et qualis sit, se ostendit,

cum, tribulationibus undique percussa, stat firma et immobilis; et ideo addidit: IN VIRTUTE, id est, in fortitudine, et constantia, et magnitudine animi. Sed cujus rei gratia haec optat Divus Paulus Thessalonicensibus a Deo dari? ut, inquit: CLARIFICETUR NOMEN DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI, ET VOS IN ILLO; id, autem, est, quod antea dixerat: CUM VENERIT GLORIFICARI; quasi ita dicat Divus Paulus: opto, ut Deus impleat in vobis voluntatem suam bonam, ut vos, perseverantes in fide et in omni opere bono, in die revelationis Jesu Christi accipiatis ea bona, quae praedixi vobis eventura esse, et meum testimonium, meaque praedicatio inveniatur fidelis et firma, ut et Christus in vobis, et vos in illo clari atque gloriosi efficiamini. Sed qua ratione, quaerat aliquis, id efficietur? ipse Paulus docet, dicens: SECUNDUM GRATIAM DEI, ET DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI; id est, efficietur Christus gloriosus in vobis, et vos in illo, per ea dona atque praemia, quae vobis daturus est tunc; nam et vos gloriosi afficiemini illis donis et beneficiis, utpote qui sitis constituti in tanta felicitate, et Christus ipse etiam efficietur gloriosus ob id ipsum, quod vos per gratiam suam dignatus sit afficere tot donis, tot praemiis. Atque haec sint dicta de toto isto capite.